Th. VIII
16

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
*DE*

# DIURETICIS.

*QVAM,*
ANNUENTE SUMMO NUMINE
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris*
D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,
J.U.D. ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Ordinarii.
NECNON
*Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu,*
*& Almæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè conſequendis,
*Publico examini ſubjicit*

JACOBUS GARBERS, HAMBURGENSIS.

*Ad diem 29 Iunij, à 8. ad 10. horam.*

*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDCXCIII.

# PATRIÆ
# CONSANGUINEIS
# PRÆCEPTORIBUS
# FAUTORIBUS
# ET
# AMICIS

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Diſputationem hanc Inauguralem dico, dedico.

JACOBUS GARBERS,

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

## DE

# DIURETICIS.

## THESIS I.

Uti plurima dantur corporis humani emunctoria publica, quorum auxilio diverſæ Naturæ excrementa (quædam continuè, quædam vicibus interpolatis) indies egeruntur; ita plurima dantur, tum ex vegetabili, tum animali, minerali, & marino regno, deprompta Medicamenta, quæ non ſolum diverſis, ſed determinatis, illis ſentinis exhauriendis, apprimè ſunt dicata. Sic præter Errhina, Salivantia, Expectorantia, Vomitoria, Purgantia, & Sudorifera, inſignem in Praxi Medica habent laudem & utilitatem ea, quæ *Diuretica* dicta ἀπὸ διὰ, καὶ οὐρέειν mingere, *ſolito majorem urinæ copiam provocando*, *materiam peccantem*, *plurimis in affectionibus*, *peſſundant*, *&* *evacuant*. Horum poſtremorum operandi modum, lubet nobis *Theſibus hiſce Inauguralibus*, penitiùs paulo examinare, & utilitatem aſſignare;

 ſed

ſed neceſſum erit, ut renum, ureterum, & veſicæ urinariæ, quarum neceſſitate urinæ ſecretio, & excretio procedit, ſtructuram & fabricam (minutias tamen Anatomicas prætereundo) prius hic adumbremus.

## I I.

Renes (quorum Anatomen *Cl. Bellinus*, & *Malphigius* accuratiſſime tradiderunt) numero bini; in utroque latere poſiti, inter duas peritonæi tunicas, ſuper muſculos pſoas, ſive lumbares, ad latera venæ cavæ, & arteriæ aortæ, ſub quibus maximi reconduntur nervi, tam muſculorum prædictorum lumbarium, quàm alii ad crura hàc manifeſte tranſeuntes, nihil aliud ſunt, quam congeries vaſorum plurimorum, majorum, & minorum, ſive diverſæ figuræ, & diametri, arterioſorum, venoſorum, nervoſorum, & lymphaticorum, ſibi diverſimode implicatorum, & conglomeratorum, quorum alia, materiam urinæ ſecernendæ idoneam advehunt, ut arteriæ emulgentes, & nervi; alia revehunt, & egerunt, ut venæ, & vaſa lymphatica, inter quæ recenſemus urinaria: Nempe arteriæ emulgentes, quæ ab aorta inferiori oriundæ, raro unius numeri, ſed aliquando ſenis, quinis, quaternis, ternis, plerumque binis ramulis; ſimam renum partem dum ingrediuntur, ſanguinemque advehunt impetuoſum, confeſtim dirimuntur in ramificationes plures minores, quæ uſque & uſque anguſtatæ, in omnem conceptibilem dimenſionem excurrendo, pariunt canaliculos illos exiguos intortos, quos glandularum nomine Anatomici indigitare ſolent; quod etiam *Malpighius* confirmat. *Cap.* III. *de Renibus*, inquiens, connexionem talem habent glandulæ cum arteriarum ramis, ut ab interioribus, & quandoque ab exterioribus partibus intro reflexis, & in multiplices funiculos propagatis, adnaſcantur, & ipſis appendantur: hocque evidenter demonſtratur immiſſo colorato liquore per arteriam emulgentem, nam eodem inficiuntur colore glandulæ (referentes totidem piſcium ova) quô continuatæ arteriæ, ita ut oculus facillime cohærentiam ipſarum evidenter attingat. Sed hi canaliculi minores, ſanguinem ſub ratione ſanguinis non ſuſcipiunt, id enim præſtant venæ ad cavam excurrentes, utpote quæ cavitatibus gaudent majoribus, dum fluidior ejus portio

tio coloris expers, aut ſi coloràta, tamen non ſanguinoſenta, inſinuatur, partim tubulis anguſtiſſimis, à circumferentia ad centrum, ſive ab extima renum ſubſtantia, ad pelvim tendentibus, partim vaſis lymphaticis majoribus (*vid. Cl. Ant. Nuck Adenograph.*) ad receptaculum commune excurrentibus, & in illud ſe exonerantibus. Urinæ igitur vaſa à gibbo, & extremitate renum exorta, ſuperato vaſorum cœterorum arcu (ut ait *Malpighius Cap.* IV. *l. c.*) rectà versùs centrum petunt, & in quibuſdam, velut in faſciculum recollecta, in formam papillæ deſinunt, ita ut tota vaſculorum horum compages pyramidem plurium laterum referre videatur; in aliquibus verò, cum in unam tantum continuatam regionem, & velut extenſam papillam conſpirent, à tota renis peripheria exorta urinæ vaſa, verſus medium deſinunt, ubi per oblonga quædam foramina in pelvim exſudat urina à ſingulis oſcillis vaſorum interius hiantium: aliquando etiam urinæ, & ſanguinis vaſa uſque ad apicem deducta, reflectuntur ad latera, ubi non longe ab extremitate papillæ, foramen quoddam cavernoſum obſervatur, in quod ſingula vaſa & reflexa, & recta deſinunt; unde compreſſa papilla urinam totam inde promit. Juxta ſingulos hoſce renum canaliculos, diſſeminatæ ſunt innumerabiles ramificationes nervoſæ, (quos forſan *Bellinus* vocavit tubulorum membranaceorum congeriem) ex ſexto pari oriundæ, quæ tandem in centro renis coëuntes, cavitatem illam denſam, & quaſi tendinoſam conſtituunt, quæ Anatomicis dicta Pelvis renum, in homine arctioris eſt latitudinis, totaque continua eſt, præter rotunda illa foramina, quibus nectitur, ſeu admittit papillas urinæ vaſis conglobatas. *Ureteres* nihil aliud ſunt, quam ductus quidam nervoſi, membranoſi, & tendinoſi, ab ipſis renibus, & pelvi protenſi, & continuati, qui varia inſtructa diametro in ſuo excurſu, non carent ſuis arteriolis, venis, nervis, glandulis, & vaſculis lymphaticis, quorum ope interna eorum ſuperficies, liquore aliquo humectatur, & oleoſo irrigatur. In brutis vero, quibus urinæ vaſa in papillare corpus deſinunt, inſignis quædam ureteris, per medium renis obſervatur quaſi ovalis expanſio, quæ è regione hiatus; papillarum appendices quaſdam tubuloſas promit, quæ verſus gibbum protractæ latiores redditæ, quaſi infundibulum efformantes, admiſſam intra ſe unam vel alteram papillam arctè complectuntur: implantantur hi ductus obliquè delati ad

 la-

latitudinem digiti inter veſicæ tunicam membranoſam, & muſculoſam circumvolutam, non longe à collo veſicæ in poſtica ſede, ubi urinam in veſicæ cavitatem guttatim deponunt. *Veſica Urinaria* in hypogaſtrio locata, inter geminas peritonæi tunicas, tota quidem vaſculoſa eſt, ut cæteræ partes corporis omnes, ſed ſpeciatim habet tunicas tres diſtinctas, quarum duæ (extima ſcilicet & intima) ſunt membranoſæ, & nervoſæ, una (intermedia) muſculoſa: omnes autem inſtructæ ſunt ramificationibus arterioſis hypogaſtricis (ut & uterinis in mulieribus) nec non venis, nervis, glandulis & vaſculis lymphaticis, quorum quædam (ut circa renes diximus) oſcula ſua habent in cavitatem ejus hiantia & deſinentia, quædam vero ad receptacnlum commune lympham ſuam revehunt: fibrillæ veſicæ muſculoſæ variis modis ſibi intertextæ, maxime quidem habent figuram longitudinalem & rhomboïdalem, ſed circa collum veſicæ magis ſibi unitæ, abeunt in circulum ſatis craſſum, & denſum, quem ſphincterem Medici vocare ſolent, ex eo, quod viam in ſtatu naturali ita præcludat urinæ, dum influxu ſpirituum animalium contrahitur, ut citra voluntatem noſtram non excernatur.

## I I I.

Hæc ſunt primaria, quæ Lectori lucem fœnerari poſſunt ſufficientem, circa ſtructuram renum, ureterum, & veſicæ urinariæ: plura curioſiora ſi quis deſideret, Auctores adeat ſupra citatos abſolutiſſimos. Quæſtio tamen hic coincidit, annon præter eos, quos attulimus ductus, alii peculiares lactei, vel quocunque nomine alio inſigniendi, ad has partes excurrant, ſive immediatè à ventriculo, ſive ab inteſtinis, glandulis meſenterii, receptaculo communi, vel ductu thoracico, præſertim cum obſervemus, liquores quoſdam ſpirituoſos & calidos, eodem fere colore, conſiſtentia, odore &c. citiſſime per urinam excerni, quod per longiores alias ambages fieri vix erit veriſimile: ita teſtatur *Rob. Boyle Tr. de ſpecificorum remediorum cum corpuſculari philoſophia concordia*, quod in quibuſdam coloniis Anglicanis Americæ, creſcant fructus quidam, quos incolæ pyra variegata, ſeu Prickled Pear dicunt, quorum interior ſubſtantia rubra admodum eſt, quæ tum colore, tum grato ſapore appetitum adſpectantium ſæpe irritant: eorum

autem

autem ſuccus adeò penetrans eſt, ut per ſtomachum in veſicam, indeque in matulam, rubedine adeo parum immutata tranſeat, ut alienigenæ rei novitate ſtupefacti, hoc fructu aut urinam ſanguinolentam, aut certe, ſanguinem merum prolici à ſe putent. Nos reſpondemus, rationi minime repugnare, quod tales dentur ductus immediatè ab aliis partibus vicinis ad renes & veſicam excurrentes, præprimis cum à primordiis generationis uſque fluidum chyli (quod plurima efformat vaſa, ut ut alii corpus humanum mechanicè productum eſſe negent: nam ſi mechanicè non fuerit productum, nec mechanicè conſervatur, nec ulla alia res mechanicè producitur, quod eſt abſurdum) notabilem omnem in dimenſionem, verſus partes corporis, tunc molliores, adeoque ad cedendum promptiores, fecerint preſſionem: Taceo, quod à nonnullis obſervatum legimus, vaſa quædam lactea cum venis iliacis, vel aliis venæ cavæ ramis communicaſſe, hinc *Cl. Bohnius in circ. phyſ. anat. progymnas.* XII. ſequentem in modum loquitur: Quoniam nihilominus natura, non ſemper ſuſpicionibus noſtris, ſatis etſi probabilibus ſe accommodat, neque ipſius conatibus vim infert, eoſdemve turbare videtur, ſi duobus, vel pluribus locis chylus ſanguini (nos addimus & aliis partibus ſolidis) affundatur, adeo obſtinatè receptaculi ſero chyliferi cum aliis, iiſque inferioribus venis inoſculationem negare vix licet, cum quod hodiernus dies nobis denegat, vel poſteritati, vel nobiſmetipſis, alius forſan concedere ac manifeſtare queat. Speculationi ejuſmodi occaſioni extitit duplex, & in duobus cadaveribus fœmineis facta Pariſiis à Domino *Perault*; *Pecqueto*, & *Gayant* obſervatio, quarum priorem *le Journal des Savans*, utramque *Perault Eſſais de Phyſique Tom. I.* in appendice legere licet. Nempe in primo ſubjecto tubulus ductui Thoracico prope ſeptimam ac octavam vertebram dorſi immittebatur, & per hunc flatus, compreſſo prius circa tertiam vertebram eodem canale: ſicque venam emulgentem ſiniſtram cum trunco cavæ in iliacas abeunte, ad quemlibet aëris impulſum non tantùm diſtendi, & per emulgentem fiſſam, prope ejus cum cava commiſſuram ſpiritum erumpere viderunt, ſed ipſum ramum circa quartam vertebram à trunco chylifero emanare, & ad emulgentem deſcendere, ex diverſimode adminiſtratis inflationibus, atque compreſſionibus concludere valebant, &c. Quidni ergo ſimiliter dicere licet, vaſa quædam à ventriculo &c.

ad

ad alias partes immediatè excurrere, cum eadem detur cauſa efficiens? At hæc nemini, ut abſolutè vera, ſed duntaxat ut veriſimilia, obtrudere conamur.

## I V.

Quæritur etiam, annon in veſica dentur pori diverſimodè conſtituti, tam intus foras, quam foras intus ſpectantes, ita ut per eos fluidum aliquod determinatum tranſire poſſit? Reſp. Affirmando: non enim poterant fibrillæ (aut particulæ irregularis magnitudinis & figuræ, ex quibus fibrillæ componuntur) ſibi ita mutuo uniri, quin diverſa juxta ſe relinquerent interſtitia, corporibus ſubtilibus determinatis tranſmittendis idonea; præprimis, cum ab ipſis primordiorum generationis punctis, continuata fuerit fluidorum in omnem dimenſionem preſſio. Unde ſequitur, quod vapores in abdomine contenti à calore & continuata preſſione, quàm facillimè per poros veſicæ poſſint propelli, atque urinæ commiſceri.

## V.

Quibus prælibatis, liquidò (noſtrô judiciô) poſſumus ad urinæ naturalem ſecretionis modum tranſire, dicendo, quod reciprocâ muſculorum cordis naturali contractione vigente ſanguis (qui ex indefinitis, ratione magnitudinis & figuræ, particulis conflatus eſt) ex ſiniſtro cordis ventriculo, verſùs aortam deſcendentem vivaciter (quaſi mediante torculari aut embolo propulſus) uti ad omnes corporis partes, ita ad renes ope arteriarum emulgentium ex aorta provenientium (quarum latera muſculoſis ſuis fibris compreſſionem fovent & augent) per ramificationes renum innumerabiles, diametri & figuræ diverſæ, inſinuetur, non quidem totus (id enim, ut ſupra monuimus, prohibent cavitatum variarum anguſtiæ) ſed portione ſui aliqua magis fluxili, conſtante potiſſimum ex particulis valdè lubricis oblongis, & flexibilibus, aquoſis, ſalinis nitroſis rigidiuſculis, quibuſdam terreſtribus figuræ irregularis, & oleoſis, hamoſis ac ramoſis, (quas Chymici vocare ſolent ſulphureas) quæ omnes tranſeunt in pelvim; & exinde per ureteres in veſicam urinariam, ex qua poſtmodum ſub

no-

nomine urinæ excernuntur. Ad hoc plurimum contribuunt primo vicinia aortæ vehementer ad vibrationem cordis pulſantis, adeoque per vices vaſcula renum prementis ita, ut liquores omnes in motu progreſſivo propagentur; deinde influxus ſpirituum animalium per copioſiſſimos nervorum ramulos continuatus celerrimus, & denique actio reſpirationis reciproca inſpirationis, & exſpirationis, quod attendenti non clarum non eſſe poterit.

## V I.

Miramur equidem, clariſſimum, & ſubtiliſſimum *Entium in Animad. in Thruſton.* hanc circa materiam ſequentia proferre verba: Seroſi humoris iter ad renes hactenus quæſitum magis, quam repertum arbitror, fruſtraque fuiſſe omnes, qui Iſthmum hunc fodere aggreſſi ſunt, &c. Arbitror equidem, urinæ materiam per nervos ad renes deferri, è quorum interiori tunica ingens fibrarum copia circumcirca proſiliens verſus centrum tendit, ipſamque pelvim conſtituit, quæ cum arteriis aut nervis nihil habet commercii? Revera enim nervi, fluidum adeò craſſum, & copioſum, quale eſt urina, advehere nequeunt, uti ſatis, ſuperque patet ex canaliculorum inviſibilitate. Sed hoc certum eſt, quod niſi nervi eſſent eo in loco adeo copioſi, magnamque ſpirituum copiam adducerent, ſecretio urinæ non adeo prompte abſolveretur.

## V I I.

Nec opus erit fermentum aliquod in renibus comminiſci, ut volunt nonnulli, cujus virtute urina à ſanguine præcipitaretur. Propulſio enim, & ſeparatio particularum fluidiorum à craſſioribus intra canaliculos diametri diverſæ, ſola ſuffecerit. Taceo, quod nulla poſſint in vaſculis, & tubulis concipi fermenta ſine obſtructionibus, quæ ſecretionem omnem impedirent. Sed figuram orificiorum vaſorum, & tubulorum non minus quam ampli-

tudinem diverſam neceſſariam eſſe ad diverſas ſecretiones abſolvendas, demonſtrari poteſt & à priori, & à poſteriori: nempe (1°) cum nullum detur corpus quantum, niſi quod ſimul ſit figuratum, ( nam figura corporum eſt æque realis ac magnitudo ) & canaliculi renum efformati fuerint ex corpuſculis, ratione magnitudinis, & figuræ valdè diverſis, ſequitur, non omnium canaliculorum figuram evadere potuiſſe unam, eandemque in diverſis partibus, præprimis cum varient leges, & determinationes motus pro varietate particularum iſtarum variarum: (2°) cum non niſi determinati liquores ( quorum texturam ratione particularum componentium variare, nemo negat ) per determinatos partium canales tranſire, aut injici poſſint, craſſitie, vel ſubtilitate parum obſtante; v. gr. ſpiritus vini reſtificatiſſimus non tranſibit canales renales, quod facile præſtat urina tepefacta; ſequitur neceſſario, figuram vaſorum & tubulorum determinatam non ſolum ad ſecretionem urinæ, verum etiam ad cæteras omnes ſecretiones humorum determinatorum, rite explicandas, eſſe allegandam. Huc etiam multum confert motus ille, particularum ſanguinis inteſtinus, quem vocamus fermentativum; hujus enim ope particulæ melius àb invicem ſeparatæ ſervantur, meliuſque orificiis vaſorum accommodantur, ut ut alii hunc motum fluidis corporis noſtri partibus denegent; ſtatuimus enim, quòd cùm fluidum in rerum natura dari poſſit nullum, quod non conſtet ex congerie particularum minimarum quantarum, & figuratarum, ab invicem ſeparatarum, & celeriter in orbem motarum, etiam nullum in aliquo ſpatio, ut ut concluſo, adeoque in corpore noſtro dari fluidum, quod motum particularum non habeat inteſtinum: Poſito autem, ſed nondum conceſſo, demonſtrationem illam *Cl. Neuton. quam habet Phil. nat. princ. mathem. lib.* II. *Prop.* XIX. procedere, an inde ſequitur, quod in animali vivente fluidorum particulæ motu non moveantur inteſtino? minime: quomodo enim ſodes concipi poteſt, quod contractionibus muſculorum cordis reciprocis, actione inſpirationis & exſpirationis, motionibus muſculorum crebris &c. particulæ fluidum noſtri corporis conſtituentes, loco non moveantur in omnem dimenſionem poſſibilem? Revera nunquam circulationis actus, aut operatio alicujus medicamenti attenuantis ſine hoc motu inteſtino clarè, & diſtinctè explicari poterit: nam quod ſola gra-

vitate

vitate effectum ſuum talia medicamenta ſortirentur, nimis eſt obſcurum, & generale.

## VIII.

Hiſce poſitis, clarum erit, quomodo diverſæ naturæ Diuretica operationem ſuam ſortiri debent; Videlicet nonnulla humidum copioſum ſuppeditando, majorem ſolito preſſionem verſus canales renum faciunt, & ſalia ſanguinis ſecum abripiunt, unde majorem ſeri urinoſi copiam ſecerni manifeſtum eſt: talia ſunt potus calidus herbæ Theè, fabarum Coffée, liquores vinoſi, decocta diuretica, & ſimilia, quæ tamen & ſimul alio modo diureſin promovent, quatenus particulis ſuis ſalinis volatilibus fluiditatem ſanguini majorem conciliant, tubuloſque & poros ita dilatant, ut fluidiores particulæ per eoſdem transferantur: & hoc modo quoque operantur quævis ſalina volatilia, ex vegetabili & animali regno deprompta, ut cineres alcalici, ſales alcalici volatiles, & fixi, cantharides, vermes majales, millepedes, eorumque Tincturæ, urina hirci, oleum ſabinæ, juniperi, ſuccini, radices petroſelini, apii, lignum juniperinum, nephriticum, baccæ juniperi, terebinthina, balſamus copaib. &c. Alia ſunt Diuretica ex minerali regno eligenda, quæ acido ſuo volatili, & nitroſo, vel etiam ſale martiali, & vitriolicô, maſſam ſanguineam craſſam, viſcoſam dividunt, adeoque circulationem augent, tubuloſque & poros renum ac veſicæ dilatant, ita ut ſerum urinoſum majori copia ſecernatur; vel etiam maſſam ſanguineam blandè coagulando efficiunt, ut ſerum magis ſupernatet, meliuſque renum canaliculis inſinuetur: talia ſunt ſpiritus Nitri dulcis, ſpiritus ſalis dulcis, cremor Tartari, aquæ acidulæ Spadanæ, Swalbacenſis, nec non multæ aliæ, ut thermæ Borbonenſes, Carolinæ, Balerucanæ &c. quas Gallia, Anglia, Germania, & Suecia affatim ſuppeditare ſolent. *Vid. Liſter. de font. medicat. Angliæ*, *Du Clos obſerv. &c.* alia ſunt Diuretica, quæ ratione particularum ſuarum ſcabrarum, & irregularium maſſæ ſanguineæ particulas craſſas viſcoſas dividunt, atque acidumfixum abſorbendo circulationem promovent, ita ut ſolito copioſior urina ſecernatur; talia ſunt ex regno marino oculi cancri, ſuccinum, omniaque conchilia, Margaritæ, mater perlarum, & ex

regno minerali terræ ſigillatæ, bolus, marga, lapis bentheimenſis &c. Inſuper hic loci cum *Williſ. de Medic. oper. S.* 1. *c.* 1. notamus, diureſi cum ſudore affinitatem quandam intercedere, ut non raro vices commutent, & alterutrius materia per alterius emunctoria foràs convehatur: quippe emanationes cutaneæ, ſi fortiores, & impetuoſæ fuerint, multum ſeroſi laticis renibus deſtinati ſecum rapiunt, ac in ſudorem transferunt; etiam vice verſa, quando ſerum copioſo affluxu per cutim exhalare ſolita intus devocat, & torrente ſuo involvens per vias urinarias amandat. Nec etiam rarum eſt, à purgantibus urinas copioſas pelli: nam & hæc majorem in ſanguinem inducendo motum, preſſionem non ſolum vehementiorem verſus canaliculos inteſtinorum, ſed etiam renum, aliarumque partium faciunt, imo & humidi magnam partem præcipitant.

## IX.

Sunt, qui diſtinguunt inter urinam ſeri, & urinam cruoris; *vid. Le Mort. chym. phyſ med.* Sed hæc diſtinctio videtur ſuperflua, niſi per urinam ſeri eam intelligant, quæ immediatè à ventriculo, inteſtinis, aut aliis partibus, vel per ductus peculiares nondum inventos, vel per poros veſicæ foràs intus ſpectantes, inſalutato ſanguine, ſecernitur; per urinam vero cruoris eam, quæ ex ſanguine per arterias emulgentes intra ſubſtantiam renum, modo ſupra dicto tranſcolatur: hæcque tunc diſtinctio utilitatem ſuam habere poteſt notabilem in Uromantia.

## X.

Haut ſatis nobis eſſe videtur tradidiſſe, quomodo copia urinæ magna ſuppeditetur per Diuretica, etiam aliquid dicendum ſupereſt de excretione illa urinæ copioſa præternaturali, quam vocant Diabeten Spurium. Verus enim, in quo potus eodem colore & conſiſtentia eadem, qua aſſumtus fuit, redditur, adeo rarus eſt, ut *Galenus* bis ſaltem toto praxeos ſuæ decurſu, & *Victor Trincavellius* ter ſolummodo quadraginta annorum ſpatio ſe vidiſſe teſtentur. Iſtius Diabetis exempla proſtant apud Auctores plurima; ita *Bartholin. in Act. Haſſn. part.* 1. *obſerv.* 5. dicit,

ſe

ſe obſervaſſe diabetem Spurium periodicum, in quo plenilunio inſtante XII. menſuræ, ſive 24. libræ aquæ reddebantur, quamvis tertiam partem unius menſuræ æger non hauſiſſet. Conf. *miſc. cur. an.* II. *obſ.* 162. 167. 198. & *an.* III. *obſ.* 183. *Tulp. obſ. lib.* II. *obſ.* 46. Rationem ejus eſſe poſſe multiplicem nobis videtur veroſimillimum, nempe (1°) dilatationem magnam non ſolum canaliculorum renalium, aliorumque ad veſicam excurrentium, ſed etiam pororum veſicæ foràs intùs ſpectantium, ut in morbis ardentibus, aut poſt uſum nimium aromatum acrium, & ſpirituoſorum diureticorum, qualia exempla exſtant in *Miſc. cur. dec.* II. *an.* II *obſ.* 122. & *an.* II. *obſ.* 198. *Tulp. loc. cit.* (2°) obſtructionem ramificationum venoſarum in renibus, & veſica, ut ab arteriis verſus glandulas, & vaſa urinaria major fiat ſanguinis preſſio: ita ligatis venis jugularibus videmus magnam lachrymarum, ſalivæ, & muci narium provenire copiam. (3°.) per criſin humoribus vel ad rarefactionem magnam perductis, ut aliquando contingit in hydrope, vel ad tantam craſſitiem redactis, ut ſerum magnâ copiâ ſupernatet particulis aliis craſſioribus.

## X I.

Etiam hic inquirendum occurrit, quomodo in hydrope v. gr. aſcite, non ſolum purgantia, verum etiam ſudorifera & diuretica aquas ex abdomine evacuent, cum tamen nullæ hactenus apparuerint Anatomicis viæ manifeſtæ, ex abdomine ad renes & veſicam excurrentes: Nos judicamus, id fieri & rarefactione humorum majore, in cavitate abdominis ſtagnantium, & dilatatione canaliculorum plurimorum, lymphaticorum pororumque in omnem dimenſionem notabili: ita ut hic effectus ſatis ſuperque confirmet id, quod ſupra diximus, tubulos ab una ad aliam partem dari continuatos, licet viſus eos detegere nequeat.

## X I I.

Reſtat, ut perſpiciamus, quibus in caſibus Diuretica, & quidem determinata, vel juvent, vel noceant. Aquoſa non poſſunt non maximæ eſſe utilitatis ubi ſales craſſiores peccaverint

 ſive

ſive univerſaliter in toto ſanguine, ſive particulariter in renibus, veſica, aut alia corporis parte ſolida, v. gr. inflammationibus, & exulcerationibus &c. Vehiculum enim nullum potentius eſt ſalis, quam aqua, ut cum eadem ex corpore eliciatur: ſed ex adverſo non poſſunt non nocere, ubi magna copia humorum craſſorum, viſcoſorum, & ſeroſorum peccaverit. Non enim ſufficiunt flexiles illæ lubricæ ſive aquoſæ particulæ craſſioribus, & oblongioribus particulis dividendis, & evacuandis, quia ex adverſo iiſdem involvantur, retineantur, majoreſque pariant anomalias. Sed diuretica ſalina volatilia conducunt, ubi humidum viſcoſum peccat & abundat, cum ope caloris corporis reſoluta, majore motus quantitate polleant ad hamoſas, & ramoſas particulas dividendum, & una cum ſero evacuandum; hinc proficua ſunt in morbis chronicis, ſpeciatim in hydrope aquoſo, febribus intermittentibus, chloroſi, nephritide viſcoſa, nec non calculoſa, ita tamen, ne magna doſi ſimul & ſemel propinentur, ne ſubito nimis premendo vias urinarias, non ſolum vehementer eas anguſtent, verum etiam craſſiora corpuſcula canaliculis inhærentia profundius impellant, unde dolor augetur, & iſchuria, mictio cruenta, ſtranguria &c. generantur: ex adverſo nocent ſanguine exiſtente acri, vel præſente aliqua notabili inflammatione aut exulceratione, excepta gonorrhæâ, in qua etiam cautè ſunt uſurpanda, quoniam ſalem augent aut ſaltem majori copia ex gremio ſanguinis verſus partem affectam fundunt, & præcipitant, imo etiam ad ſanguinem reportant, ubi nimia doſi fuerint aſſumpta: nec commendanda hæc ſunt in nephritide plethorica, quoniam ſanguinem craſſiorem nimis protrudendo canaliculos renum comprimerent, & anguſtarent. Acida volatilia, & nitroſa diuretica maxime temperata ſunt, & proficua in inflammationibus, ſanguine peccante acri ſalſo, etiam in nephritide calculoſa: conſtat enim experientiâ, calculos acidis dirimi, & frangi. Nocerent autem & hæc in exulcerationibus gravioribus, aut etiam inflammationibus majoribus, ſi majore aliqua copia aſſumerentur, coagulando, & acidum fixum ſuppeditando. Scabra & acidum abſorbentia diuretica ſunt quoque minus periculoſa ſingulis in caſibus, exceptâ nephritide calculoſâ, quam facili negotio exaſperarent, cùm ſcabris ſuis particulis ſubtilioribus per vaſa lactea ad ſanguinem ea tranſire

cer-

certiſſimum ſit. Omnium autem optimè, ſecundum artem, diverſæ indolis diuretica, vel permiſcentur, vel cum emollientibus, oleoſis & aquoſis junguntur ita, ut ſucceſſivè viæ diſponantur ad materiæ peccantis faciliorem tranſmiſſionem. Effectum etiam Diureticorum facilitant balnea, fomentationes univerſales, & particulares nonnunquam acres volatiles, nonnunquam emollientes, & humectantes, item linimenta circa regionem lumborum, hypogaſtrii, & perinæi, partim acria volatilia, partim emollientia. Nocent præterea diuretica acriora fluentibus menſtruis vel hæmorrhoidibus, item tempore geſtationis in utero, præprimis prioribus & ultimis menſibus; nam acinos placentæ, utero inſertos, & quibus fœtus illi annectitur premendo ſolvunt, vel erodendo rumpunt, & hæmorrhagiam pariunt.

## TANTUM.

# COROLLARIA.

### I.

*A ſubtilibus, motumque ſanguinis augentibus rebus ſomnum oriri poſſe concedimus: ſed opium aliaque narcotica ſanguinem rarefaciendo, motumve ejus circularem augendo ſoporem inferre negamus.*

### II.

*Nulli ſudores, niſi frigidi malique ominis, ab opia-*

*tis*

*tis per ſe, ſed cum aliis medicamentis conjunctis oriri poſſunt.*

III.

*Celeritas pulſus non ſignum eſt indubitatum auctæ circulationis.*

IV.

contra Newton

*Vacuum nihil eſt; ergo in rerum natura, & per conſequens in corpore humano nec datur, nec dari poteſt.*

V.

*Quapropter materiam aliquam ſubtilem, omnium corporum ſpatia replentem dari neceſſarium eſt.*

VI.

*An aër ſanguini & humoribus intra pulmones communicetur, vel non, diſputantibus eligendum tradimus.*

FINIS.